Quaestio medica Quodlibetariis Disputationibus agitanda In Scholis Medicorum die Jovis 6a Novembris, Doctiss. Viro D. Petro De la Bistrade D. M. Moderatore prudentiss.

An ut semen, sic Menstruus Sanguis benignum Excrementum?

Humani Corporis et sanguineorum animalium simplices quatuor naturas a primis qualitatibus varium temperamentum sortitas in hepate et venis simul ab uno eodemque calore genitas, sanitatis et morborum authores, quatuor prima mundi Corpora (quibus universum tum viribus tum sua proximitate reliqua constant) proxime aemulantur. Bilis siquidem igni, succus melancholicus terrae, pituita aquae, sanguis aeri assimilatur, in quem hic ut et reliqui humores in sua elementa corpore fato functo resolvitur.

Atque ut illa simplicia Corpora sua habent principia omnium prima, sic et hi humores sedibus suis conclusi, atque innato calido et spiritu perfusi sanguinem menstruum, et semen pro suis agnoscunt. Ac semen quidem utrumque utique, primi communis ortus nostri verum proximumque principium (et quo cerebrum ortum habet) formae rationem obtinens a partibus spermaticis per cavam et aortam allatum ab iisdem vectum et elaboratum corpori superfluum, utile tamen excrementum post postremas coctionis emittitur.

Menstruus item sanguis a quo et formatur, et augetur foetus in utero vicariis venis communis, hepatis potius et secundae in eo quam tertiae concoctionis opus, mulieribus quam reliquis foeminis (quae sunt maribus frigidiores) ob parciorem triplicis substantiae (quam calor nativus molitur) dissipationem, victum largiorem, et vitam otiosam, uberior; cuius quam foeminis vitia minorem noxam inducunt, corpori superfluus tempestive excluditur.

Nam id circa pubertatis annos quo tempore magna universi corporis fieri mutatio, temperans et calore jam vegetiore facto soluti extenuatus per venas diffunditur, quibus copia et calore distentis vix continetur. Unde proclive per venulas in uterum exitum sibi parat, ac statis temporibus moderate exit, victimas jugulatas sanguini similis, floridus, atque rubens cujus vacuatio (ut et lactis) si gravidas toto gestationis tempore eousque tenuat, foetus suo fraudatus genio bene valere non potest.

Idem quoque statis diebus semel in mense excretus, non quidem ab utero tractus, ut nec urina a vesica, nec alvi dejectio ab intestinis, sed illuc a natura multitudine oppressa dimissus, a quo carnosae partes materiam et formam accipiunt, et ut ipso tanquam pabulo fruitur semen, sic conclusus utero foetus et infans in lucem editus alitur: ejusdem plane substantiae et qualitatis cum eo sanguine habet esse, quem sibi servavit corpus, et ad sui conservationem usurpavit.

Ergo ut semen sic Menstruus sanguis Benignum Excrementum.

Asserebat Guillelmus Lusson Lexoviensis. Anno D. 1572.

Domini Doctores disputaturi.

M. Philibertus Landenot Med. Regius.
M. Guillelmus Cappel.
M. Nicolaus le Gros.
M. Guillelmus de la Barre
M. Joannes de Verneuil
M. Ludovicus Thibault.
M. Robertus Greaume.
M. Joannes Huguet.
M. Olivarius de Violaines.